signis phlebotomiae, non permittaris ipsam: si enim omissa fu-
erit, cum iam peccatum sit in sanguine, et non in aliis humoribus
et sanguis non expectet digestionem, certe in brevi aeger deficere
poterit. Attende tamen, quod cum febris pestilentialis pendeat a
malignitate materiae, qua virtus facile debilitari possit, ideo
hortor, quod ubi etiam sanguinis missio fuerit necessaria, non
exquisite ipsam facere debes: quia ex exquisita sanguinis missione
per resolutionem spirituum, et caloris naturalis, virtus admodum
debilitatur, et tanto magis quantum materia peccans maligna est,
et venenosa directe virtutem opprimens: esto igitur contentus in
minorativa phlebotomia, et si putabis eam non sufficere, poteris
eandem eodem die reiterare, cum propter timorem de virtutis
debilitate, melius est et securius partire evacuationem, quam una
vice totum simul evacuare, sicut dixit Galenus primo artis cura-
tivae ad Glauconem distinctione tertia, cap: sexto. ob quam rem
iubeo, quod etiam evacuando per sanguinis missionem in febre
pestilentiali a principio utamur minoratione, cum enim materia
peccans dicatur esse multae malignitatis a principio exonerare
naturam erit valde utile. Ubi vero indicia sanguinis non adsunt
in principio febris pestilentialis, nequaquam sanguinis missionem
committes, verum enim peccatum est in aliis humoribus a sanguine
nec ipsi simul permixti sanguini, quare phlebotomia rapit bonum
et malum derelinquit. quo fit ut materia magis malignetur
et repente aegrum interficiat, sicut docuit me experientia, quod
eodem pestis tempore, et eadem hora, qua pestilentialis phlebo-
tomabatur, moriebatur. Et id vituperamus illos, qui imprudenter
a principio in omni febre pestilentiali committunt sanguinis mis-
sionem, immo in febre pestilentiali, si non apparuerint signa san-
guinis, cave a phlebotomia sicut a diabolo. Si vero apparuerint
signa sanguinis cum robore et aetate consentientibus, si tu non
phlebotomabis, sanguis istius erit super te, et filios tuos. Ubi vero
phlebotomia a principio non fuerit necessaria, scias quod om-
nino febricitantem febre pestilentiali debes evacuare, et quod evacuatio
non sit eradicativa, quoniam cum illi vergat imbecillitas virtu-
tis, evacuatione eradicativa, timendum est, ne virtus ad maiorem
ducatur debilitatem, et aeger moriatur. Sed dices tu, materia in febre
pestilentia est turgens, seu furiosa, et turgentem materiam a prin-
cipio debemus evacuare iuxta praeceptum Hippocratis aphorismo.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1220/0356
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG